

monasterio (exceptis oblati intuitu paroeciae qua talis).⁸³ Subjectus manet jurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci in rebus concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem.⁸⁴ Superiori autem regulari privative subjacet in omnibus quoad disciplinam regularem qui jus cumulativum cum episcopo habet animadvertendi in eum quoad diligentiam in exercendo munere pastoralis, necnon in casu transgressionis etiam poenas in eum statuendi.⁸⁵

Effectus incorporationis plenissimo jure facit ut, praeter dicta in unione pleno jure, praelatus monasterii vel capituli insuper quasi episcopalem jurisdictionem in clerum et populum ecclesiae incorporatae accipiat, et a potestate Ordinarii loci eximatur. Qua unione oritur territorium separatum et ecclesia nullius.⁸⁶

Inquirendo nunc, qualis dictorum casuum apud parochias franciscanas in croaticis regionibus verificetur, absque difficultate statim luculenter patet, ibi non esse nec primum neque tertium casum, sed tantummodo secundum seu incorporationem pleno jure.

Etenim, non primum, qua inibi paroeciis franciscanis praecesserunt paroeciae beneficiatae cum propriis stabilibus fundis quae conventibus unita forent, nec superiores regulares umquam ad illas vicarios perpetuos praesentabant, sed semper fratres religiosi ad nutum amovibiles easdem administrabant. — Eo minus tertius casus dari potest, quia nullum territorium separatum ab episcopi jurisdictione subductum existebat, neque Franciscani, quamquam diverso tempore multis privilegiis ditati, ab episcopi auctoritate in cura animarum spectantibus exempti erant post Tridentini decisiones latas.

Dum econtra omnia elementa unionis secundi casus ibi adamussim verificantur. Etenim, a prima sua fundatione

⁸³ Constitutio »Romanos Pontifices«, Gasparri, Fontes, II, 183 sq; can. 630, § 2.

⁸⁴ Constitutio »Firmandis«, Gasparri, Fontes, I, 855 ss; can. 1425, § 1; 631.

⁸⁵ Can. 630, § 2; 631, § 2.

⁸⁶ Wernz-Vidal, o. c. II, 182.